DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

TEMPERAMENTIS

QVAM

ANNVENTE DEO

AVTORITATE ET CONSENSV

ILLVSTRIS ET GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRAESIDE

D. PETRO GERIKE

SERENISSIMI DVCIS BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM A CONSILIIS AVLAE ET ARCHIATRO CHYMIAE MEDICINAE THEORETICAE AC MATERIAE MEDICAE PROFESSORE PVBL. ORDINAR. ACADEMIAE REGIAE BEROLINENSIS SCIENTIARVM ET LITTERARVM HVMANIORVM SODALI FACVLTATIS MEDICAE H. T. DECANO

ATQVE BRABEVTA

PRAECEPTORE AC PROMOTORE SVO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS

MORE MAIORVM RITE OBTINENDIS

D. XXX. AVGVST. A. O. R. CIↃIↃCCXLVIII.

IN IVLEO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBIICIET

GEORGIVS LVDOVICVS KAVLITZ

QVEDLINBVRGENSIS.

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII

ACAD. TYPOGR.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

TEMPERAMENTIS.

PRAEFATIO.

QVanti referat in Medicina, temperamentorum diverſitates probe perſpectas habere, Medici praeſtantiſſimi veteres aeque, ac recentiores agnoverunt, & tantum non omnes adhuc profitentur, quando in expoſitione caſuum ſingularium deſignationi temperamenti, quod aeger habet, primae fere ſemper lineae deſtinatae eſſe ſolent: etſi frequenter admodum non ſatis appareat, quid ad rem pertinuerit, aeger chole-

endi permiſerunt, ut multis id ambagibus faceremus. Et ſolent eae ſaepe faſtidium intelligentibus excitare. Deinceps ſi quis plura adhuc de temperamentis ſingulis affirmare in hac etiam ſcribendi ratione potuiſſe, quam factum eſt, putet, ſciat, & nos ita ſentire, nec negare ea, aut dubitare nos de iis omnibus, quae hic tacentur. Cur tamen multa nunc tacuerimus, ſunt nobis variae cauſae, in primis haec, quod ſaepius pedentim in diſciplinis procedere ſatius eſſe putamus, quam vel alios feſtinatione praecedere, aut ſine iuſta cauſa ſequi.

§. I.

Temperamentum etſi varia denotare ſoleat, ſtrictiori tamen ſignificatione, ad quam nunc reſpicimus, id nomen indicat temperaturam caloris, frigoris, ſiccitatis & humiditatis in corpore, e mixtione earum qualitatum exſurgentem. Nos illud nunc in homine tantum conſiderabimus. Dari autem in homine eas qualitates, & mixtas varia ratione in ſingulis, adeoque varia temperamentorum genera eſſe, ſenſus ſatis docet.

§. 2. Docent itidem obſervationes faciles, pro illarum qualitatum diverſa miſcela & temperatura plurimum differre actiones hominum omnes, & diverſis corpora praeſertim eorum mutationibus opportuna eſſe. Quae cauſae ſunt, quare ad easdem qualitates & temperaturam earum Medici in primis ſemper ſtudioſe attenderunt.

§. 3. Eſt

§. 3. Eſt vero etiam Medicorum, actionum & mutationum omnium, quae in humano corpore, & multarum quoque, quae in anima fiunt, rationes investigare & reddere. Quam autem usquequaque ea intelligentia opus habeant in omni praxi medica recte inſtituenda, alibi edocentur, qui ad Medicinae ſtudium animum appellunt. Sed intelligitur nunc ſimul, ſine temperamentorum ſcientia priorem illam generalem admodum mancam relinqui.

§. 4. Cum ergo e temperamento in quovis homine ſingularis quaſi habitudo ad actiones quasvis obeundas & mutationes ſubeundas mentis, aeque ac corporis, oriatur: (§. 2.) quidam eam habitudinem generalem, alii mentis praecipue habitudinem in quovis homine temperamentum eius dixerunt.

§. 5. Dependent autem praeterea corporis humani facultates & actiones ab omni ſolidorum & fluidorum, quibus conſtat, conditione propria, bona, ſeu mala, & mechaniſmo univerſo, ſed ei proprio, bono itidem, ſeu malo. Idem dicendum eſt de mentis facultatibus & actionibus, quatenus eae a corpore dependent; & de mutationibus, quibus mens ac corpus opportunae ſunt.

§. 6. Mentis autem facultates & actiones multum a corpore dependere, non difficile demonſtratu eſt. Ita quod primo ad *externos ſenſus* attinet, ea non modo ſine certis organis, quae iis deſtinata ſunt, non peraguntur, ſed etiam pro conditione horum, tum praeterea nervorum, quibus inſtructa ſunt, fiunt.

unt. *Senſationes*, quae in perceptione confuſa varii ſtatus in humano corpore conſiſtunt, pro totius corporis, interdum pro partium quarundam conditione, tum itidem pro cerebri ſtatu, contingunt. Exempla caloris perceptio & dolor praebere queunt.

§. 7. *Interni ſenſus* etſi magis a ſola mente dependere videantur, quam priores facultates (§. 6.): conſtat tamen obſervationibus anatomicis & medicis, exerceri eosdem, dum homo vivit, pro cerebri praecipue tum & reliqui corporis varia conditione diverſimode. Exemplum luculentum alias praebere queunt phrenitici, melancholici, & aliis capitis & totius corporis malis vexati, vel etiam ebrii ſoli, a primo inebriationis puncto ad plenam usque ſaturationem.

§. 8. *Animi affectus* quantum a corporis ſtatu dependeant, ſatis docent aetates, ſexus, climata, rerum non naturalium uſus, & ipſa de quibus nunc agitur, temperamenta.

§. 9. *Voluntas* non una ratione ab affectibus, adeoque etiam a corporis ſtatu dependet. (§. 8.) Ipſae praeterea deliberationes, in quibus facultatis eius exercitium maxime conſiſtit, & poſt quas decernit, ſenſuum internorum functiones ſunt. Quae cum pro cerebri praecipue varia conditione fiant: (§. 7.) patet, hac ratione alia voluntatem a corporis ſtatu multum dependere.

§. 10. In his vere omnibus (§. 6-9.) *facultates animae naturales* conſiſtunt: cuius ſanitatem eum illius ſtatum voco, ſub quo facultatibus ſuis naturalibus,

bus, praesertim internis sensibus, probe vti valet, & a rebus mediocriter, vel non nimium afficitur. Estque ea *naturalis sanitas*, quae in hac vita plurimum dependet a corporis totius, praesertim autem a cerebri & neruorum statu sano.

§. 11. Sequitur autem inde, in explicatione actionum & mutationum mentis & corporis ad plura alia, quam ad solum temperamentum, in corpore humano attendendum esse (§. 5.) Illa autem omnia sub temperamenti nomine quoque comprehendere, incongruum est.

§. 12. Differt ab ea animae sanitate naturali *sanitas mentis acquisita*, quae in eo consistit, vt sensibus internis & voluntate recte utatur. Acquiritur autem haec proba institutione, attentione & exercitatione: uti naturalem sanitatem, ceu cultura bonum agrum, requirit.

§. 13. Fit inde manifestum, a multis praeterea aliis rebus mentis sanitatem acquisitam dependere; (§. 12.) docetque experientia, iis omnibus, vel neglectu aut perverso usu eorum, plane aliam acquiri mentis habitudinem, quam naturalis fuerat; mutari vero etiam acquisita ea habitudine & actionibus mentis multa deinceps in corpore, & in ipsis temperamentis. Quare in actionibus & habitudine mentis explicandis multo magis ad alia, quam ad solum temperamentum, attendendum est; neque huius etiam explicatio sine illis recte procedit.

§. 14. Vt corpus univerſum, ita temperamenti etiam ratio in eo mutatur omni hora, imo ſingulis momentis, tum ipſius vitae actionibus, tum maxime uſu rerum non naturalium; tardius, ſed notabilius & conſtantius cum aetate. Neque duo forte homines eiusdem aetatis dantur eodem prorſus temperamento. (§.1.) Docent ea evidentiſſime partim humani corporis vivi ſcientia, qualem reliqua Phyſiologia tradit, partim illa, quae in Hygieine de rerum nonnaturalium uſu tradi debent.

§. 15. Docet interim obſervatio attenta, ſub illa ingenti temperamentorum diverſitate & mutabilitate, (§. 14.) 1) dari habitudines quasdam naturales generales, ad actiones quasvis mentis & corporis obeundas, & mutationes ſubeundas, e ſimili quadam temperatura qualitatum allegatarum ab initio (§. 1.) exſurgentes; ita ut in aliqua earum habitudinum plurimi inter ſe conveniant, ſeu eodem temperamento praediti eſſe videantur: (§. 4.) tum 2.) exiſtere in quovis homine generalem talem aliquam habitudinem, quae nec cum aetate prorſus, neque ab aliis cauſis facile, ſaepe, aut plurimum mutatur.

§. 16. Et apparebit porro e mox dicendis luculenter, non certe multas temperamentorum exiſtere diverſitates notabiles poſſe: etſi quodlibet eorum gradibus a ſimili alio differre queat.

§. 17. Reduxit ergo illa GALENVS ſcitiſſime ad *novem*. (*) Quem numerum fruſtra auxerunt recentiores

res

(*) GALENVS de Temperamentis, Lib. I. cap. 8.

res multi, componendo nova ex aliis, quae consistere invicem prorsus nequeunt: uti in sequentibus exempla quaedam docebunt.

§. 18. Commode autem quodlibet temperamentum appellationem sortitum est ab eo, quod in mixtura qualitatum dictarum praepollet. (*) Inde enim reliqua mixtura satis intelligitur. Inde vero etiam praecipui, qui in quovis temperamento observantur effectus, & quae de eo in genere quidem explicanda sunt, satis apte deducuntur. Apparet quoque sat clare, plus una, vel ad summum duabus reliquis qualitatibus praepollere non posse.

§. 19. Est ergo *Temperamentum* I. *calidum*, in quo calor praevalet, nulla ceterum siccitatis, vel humiditatis praeeminentia: II. *frigidum*, in quo frigus praepollet, sub harum qualitatum temperatura: III. *siccum*, in quo siccitas eminet, calore & frigore temperatis: IV. *humidum*, in quo humiditas insignis est, sub caloris & frigoris temperatura. Et ea quasi *simplicia* temperamenta sunt.

§. 20. Quemadmodum *composita* vocare licebit ea, ubi duae qualitates simul praevalent. Illa sunt: V. *Calidum & Siccum* simul: VI. *Calidum & Humidum* simul: VII. *Frigidum & Siccum* simul: VIII. *Frigidum & Humidum* simul. Quae composita solis hisce nominibus intelliguntur.

§. 21. Superest IX. quod ab aliis neglectum miratur, & primo omnium loco ponit Galenus, *Eucraton* ab eo dictum, & optimum omnium; in quo qua-

(*) Idem ib. cap. 3.

litates illae quatuor ita inter se omnes temperatae sunt, ut nulla excedat, vel deficiat.

§. 22. Explorantur & dignoscuntur temperamenta illa omnia (§. 19-21.) sensatione, (§.6.) vel propria, vel aliena, dum alterius corpus contingitur: siccitas & humiditas vero etiam tactu proprie sic dicto. Sed usu multo & attentione ad eam rem opus est, si quis verum de suo, vel alterius temperamento iudicium ita ferre velit. Attendendum vero praeterea est ad plura alia signa, sed non cuivis statim intellecta, vel perspicua: quorum praecipua deinceps allegabo.

§. 23. Temperamentorum rationes ultimas in quatuor elementorum mixtione veteres quaesiuerunt: instituto non prorsus vano, sed nimis praematuro. Vti enim elementa partes corporum simplicissimas, & unde tandem illa omnia constarent, recte dixerunt: ita eadem non satis assecuti sunt; & e propioribus interdum caussis temperamentorum diversitates explicare licet. Sunt vero veterum elementa satis nota, nominetenus: Ignis, Aër, Terra & Aqua; eorumque qualitates ex illorum sententia: ignis nimirum Calor, aëris Frigus, terrae Siccitas, & aquae Humiditas. (*)

An, & quomodo hae res elementorum nomen mereantur, docuit PRAESES in fundamentis Chymiae rationalis, capite ultimo; capite vero I. Sect. II. magnam ignis, ignis materiae, caloris materiae, aetherisque diversitatem tam evidenter ostendit, ut mirum sit, haec adhuc usque a scriptoribus confundi, & ab hac confusione in multarum phaenomenorum explicatione maiores

res adhuc turbas facere. Putat ergo, idem forte hic accidere multis, quod Professoribus Paduanis olim, qui nuper detectos Iovis satellites oculo armato quaerere recusabant.(*) Nimirum dixerat alia de elementis, & confusioni novam materiam suppeditauerat BOERHAVIVS. Ne pigeat interim veritatis magis, quam sectarum studiosos, conferre ea, quae de sulphure Cap. VIII. Sect. II. Chymiae dicta sunt: ut discant, vel examinandi occasionem nanciscantur, quid illud rei sit, quod caloris principium in humano corpore (§. 37.) vocamus, vel quid rectius forte vocandum sit, statuant.

§. 24. Enimvero HIPPOCRATES iam propiores temperamentorum in homine rationes conquisiverat. Secundum eius placita, homo generatur ex humoribus; horum quatuor praecipui existunt in quolibet homine, sanguis nimirum, pituita, bilis flava & atra; inde is generatur, crescit & nutritur. Vocat proinde eos *propiora & propria animalium sanguineorum* principia & temperamentorum diversitatem inde deducit. (**)

§. 25. Ex qua humorum diversitate plurimi recentiorum quoque scriptorum doctrinam suam de temperamentis explicarunt: etsi non eandem in hac re omnes rationem secuti sint. Inde etiam nomina nunc vulgaria sunt temperamentorum, *sanguinei, cholerici, atrabilarii*, seu *melancholici*, & *pituitosi*, seu *phlegmatici.*

(*) Gravitatem hanc notat Perill. L. B. de WOLFF in der Naturlehr §. 106.

(**) Vid. Hippocr. de nat. humana, & Galenus de Elementis Lib. II. vocibus: *propiora & propria*, quidem Hippocrates ibi non utitur, sed rem satis indicat, quando aërem, ignem, terram & aquam corporum omnium principia nominat.

§. 26. Si ea, quae de temperamentis recte & rationi congrua tradiderunt recentiores, cum Galeni scitis conferre volumus, apparet, temperamentum *Cholericum* idem esse, quod hic Calidum & Siccum vocavit: *Sanguineum* cum Calido & Humido convenire: *Melancholicum* a Frigido & Sicco non differre: & *Phlegmaticum* Frigidi & Humidi habere indolem: adeoque ea omnia composita dicenda esse. (§ 20.) Tribuit vero Hippocrates sanguini, bili flavae & atrae, ac phlegmati easdem hasce qualitates, quae temperamenta, ab illis effecta & denominata constituunt. (*)

§. 27. Apparet autem porro, quod temperamentum Galenus *Calidum* appellavit, esse recentiorum *Cholerico-sanguineum*. Cholericum enim calidum, & siccum est, Sanguineum vero calidum & humidum; adeoque compositum ex hisce duobus calidum, sub aequabili siccitatis & humiditatis temperatura: quod idem in calido obtinere dixi. (§. 19.) *Siccum* porro Galeni convenit cum recentiorum *Cholerico-melancholico;* quorum prius calidum & siccum, alterum frigidum & siccum est, adeoque ex duobus hisce compositum siccum, sub aequalis caloris & frigoris temperatura. Patet tandem similiter Galeni temperamentum *Frigidum*, more loquendi recentiorum, dicendum *Melancholico-phlegmaticum*: & *Humidum*, *Sanguineo-phlegmatici* nomine appellandum; omniaque haec temperamenta simplicia esse. (conf. §. 26. 19. 20.) §. 28.

(*) Vid. Hippocr. de natura humana, & Galeni Commentar. in hunc librum, num. 36.

§. 28. Vt vero temperamentorum ipſorum diverſitates noſſe iuvat: ita non minus intereſt, & ad illas perſpiciendas pertinet, caloris, ſiccitatis, frigoris & humiditatis in temperamentis gradus intelligere. (*)

Gradus qualitatum in temperamentis duplici ratione conſiderari poſſunt, vel in potentia, vel in actu. In potentia eos conſtituunt qualitatum principia, quatenus mixtum faciunt: uti in eucrato temperamento caloris frigoris, ſiccitatis & humiditatis principia convenienti proportione mixta eſſe dicemus. (§. 41.) Gradus actu prodeunt in ſanguine, ſimul ac is moveri incipit.

§. 29. *Tria* habemus *temperamenta calida:* calidum, cholericum & ſanguineum; in quorum primo ſolus calor eminet, in cholerico cum ſiccitate, & in ſanguineo cum humiditate praedominatur. Conſtat autem experientia, calorem magis excitari & retineri in ſicco, quam in molli, in hoc, quam in humido: ceteris nempe paribus, quae hic utique paria ſunt. Simulac ergo moveri ſanguinem concipimus, patet, calidiſſimum exſurgere temperamentum cholericum; poſt hoc caloris gradus maiorem oriri in calido, ubi miſcela ſiccitatis & humiditatis mollitiei quandam ſpeciem conſtituit; minimum vero caloris ex hisce tribus habere ſanguineum.

Temperamenta omnia inter ſe diſtingunt qualitatum ſaepius nominatarum miſcelae, & in hac maxime praevalentes. (§. 19. 20.) Illorum vero quodlibet a ſimili alio differre poſſe gradibus, iam monitum eſt, (§. 16.) e. g. cholericum aliud alio magis minusve cholericum eſſe poteſt & ſolet. Sunt hi gradus diverſi a prioribus paulo ante dictis, etſi ex illis oriantur. Ita cholericum ſemper determinat eminentia caloris & ſiccitatis prae reliquis qualitatibus; oritur autem & cognoſci-

gnoſcitur e gradibus duarum harum qualitatum maioribus, & ab alio cholerico diſtinguitur gradu alterutrius, vel utriusque maiori, vel minori, ſed ſemper praevalente frigori & humiditati. Apparebit autem curate meditanti, qualitatum ſingularum, vel ſaltim principiorum, (not. ad §. 28.) gradus ita creſcere & decreſcere in temperamentis poſſe, ut horum duo diſtincta in confiniis ſuis, ratione unius qualitatis, aequentur, vel confundantur. Ita quod proprie calidum temperamentum vocamus, (§. 19.) ſaepe cholericum calore ſuperat; & ſanguineum interdum eidem calido calore forte praeſtare poteſt. Diſtinguet autem ſemper cholericum praevalentia caloris & ſiccitatis ſimul; calidum ſolius caloris eminentia; & ſanguineum caloris & humiditatis ſimul praepollentia. Poſſunt eadem reliquis quoque temperamentis applicari, quod brevitatis cauſa nunc omittimus.

§. 30. Accedit vero duplex alia cauſa, quare in humano corpore vivo ſiccitas calorem augeat. Robur enim in ſicco corpore maius vaſorum motus ſanguinis & humorum reliquorum fortiores efficit, & hinc porro attritus particularum, in ſanguine praeſertim, validiores; quae cum praeterea denſiores ſint, quam ſub humiditate multa, magis etiam motu vitali atteruntur: & hinc calor magis augetur, & maior conſervatur, quam in humidiore temperatura. Vt alias rationes nunc taceam.

§. 31. Ob hanc modo allegatam duplicem rationem (§. 30.) calorem paulo maiorem ſemper conſervari in melancholico, quam in phlegmatico, & in hoc minorem eſſe, quam in frigido, apparet. Eſt ergo temperamentum phlegmaticum frigidiſſimum; aliquanto minus habet frigoris, quod frigidi nomine appellatur, & minimum ex his melancholicum. Atque haec *tria frigida temperamenta* dici merentur.

§. 32.

§. 32. In ſicco & humido temperamento calor cum frigore aequabiliter temperatus adeſt. (§. 19.)

§. 33. Quod ad ſiccitatem attinet, notum eſt, eam augeri tum a calore, tum a frigore. Sed arbitrari licet, in corpore non prorſus ſicco, quale humanum eſt, & in humoribus praeſertim, qui comparate tantum ſicci vocantur, uti ſanguine, plus calorem, quam frigus valere ad ſiccitatem augendam; adeoque e *temperamentis tribus ſiccis* cholericum ſicciſſimum eſſe, proxime ab hoc, quod ſiccum vocatur, & tertio loco melancholicum.

§. 34. Colligitur vero ex eadem ratione, (§. 33.) humidiſſimum temperamentum eſſe phlegmaticum, alterum gradum obtinere humidum, & tertium id, ſanguineum dicitur. Suntque ea *tria temperamenta humida.*

§. 35. In frigido & calido temperamento ſiccitas cum aequali humiditate temperata eſt. (§. 19.)

§. 36. Dictum antea eſt, (§. 24. 25.) Hippocratem temperamentorum diverſitatem a quatuor praecipuis corporis humani humoribus derivare. Quae ratio etſi non prorſus incommoda ſit, praeſertim in mutationibus variis temperamentorum & totius corporis explicandis: forte tamen praeſtabit, in ſolo ſanguine, quod quidem ad humores praecipue attinet, temperamentorum omnium diverſitates & cauſas quaerere; uti iam Philoſophi & Medici quidam vetuſtiores, id, ſed ex aliis rationibus, voluerunt. (*)

(*) Vid. Hipp. de nat. hum. & Galenus de Elementis libro II. cap. 2. & 5.

Ex illo enim ſolo homo gignitur & nutritur; humores omnes reliqui inde prodeunt, atque ſegregati ad illum rurſus revertuntur; tandem vero, pro illius conditione, reliqua omnia in corpore viro & ſano ſe habent.

§. 37. *Sanguis* conſtat plurima aqua, tum terra praecipue, ſulphure & aëre. Ineſt praeterea ſanguini ſani hominis ſalis modice ſalſi non certe magna quantitas. Caret autem dubio, ſanguinem ab aqua fluiditatem & humiditatem; a terra maxime conſiſtentiam, & quicquid a ſe ſiccum ſegregat, uti id, quod ſolidis partibus augendis & conſervandis impenditur; a ſulphure calorem & rubicundum colorem habere. Sal illud modicum & temperatum nil magnopere ad temperaturam, de qua nunc agitur, conferre videtur. Frigus vero cum nil aliud ſit, quam caloris abſentia, in ſanguine a ſulphuris defectu praecipue oritur. Aër in ſe frigidus, nec magnum caloris gradum acquirit, nec acquiſitum diu retinet. Quare illi quoque frigus in ſanguine recte adſcripſerunt veteres.

§. 38. Multum praeterea ſpirituum tum animalium, tum vitalium, ſanguini ſemper commixtum eſſe, magna illorum copia dubitare non ſinit, quae continue in cerebro, cerebello & ſpinali medulla a ſanguine ſecernitur, revehenda ſine dubio per varias vias ad eum, & forte pro maxima ſui parte; ac humorum variorum aliorum, paſſim ſecretorum, dotes docent. Quorum tamen ſpirituum natura cum nondum valde perſpecta ſit, quam illi vim in conſtituendis

endis temperamentis habeant, inde minus deducere licet. Valere vero eosdem plurimum ad ſanguinem, quoad calorem etiam & frigus mutandum, idque partim, dum varia ratione ſanguini admiſcentur, ex iis, quae in animi affectibus obſervantur, haud fruſtra nos colligere, exiſtimamus.

§. 39. Intelligi tandem poteſt, in explicandis temperamentis praecipuam quandam rationem motus progreſſivi humorum, praecipue vero ſanguinis, habendam eſſe: ceu ſine quo nec ſulphur illum calidum, nec aqua ſatis fluidum reddere valet; aut ullæ temperaturae, in hominibus obſervandae, produci queunt.

§. 40. Sed quid tum motus hic, tum ſpiritus ipſi in efficiendis & conſervandis temperamentis valeant, in ipſa horum expoſitione ſtatim nunc oſtendemus. Prius tamen adhuc monendum eſt, quid ſanguinis reliqua miſcela ad id valeat.

§. 41. *Temperamentum* ergo *Eucraton* (§. 21.) oritur, ſi partes ſulphureae, aëreae, terreae & aqueae convenienti proportione, teneritudine & miſcela inter ſe cohaerent.

Recte idem etiam *temperatum*, reliqua vero omnia intemperata vocat Galenus.

§ 42. *Temperamentum calidum* oritur a ſulphuris, *ſiccum* a terrae, *humidum* ab aquae abundantia, *frigidum* a ſulphuris defectu, vel abundantia aëris.

§. 43. *Cholericum* ortum ſuum debet ſulphuris & terrae abundantiae, prae aquae & aëris copia: *Sanguineum* ſulphuris & aquae quantitati maiori, pro

terrae & aëris portione: *Melancholicum* terrae abundantiae & sulphuris defectui, vel aëris simul excessui: *Phlegmaticum* aquae abundantiae & sulphuris defectui, vel aëris simul excessui.

§. 44. Haec ergo (§. 41.-43.) temperamentorum praecipuum fundamentum sunt. Nunc videamus, quid cordis & arteriarum in primis motu, qui a prima generatione ad vitae finem sanguinem regit, sub diversa illa huius temperatura, contingat.

Illa temperamentorum gradus in potentia, motus vero in actu constituit. conf. §. 28. Not.

§. 45. In temperamento *eucrato* sanguis, temperatus omni modo, per vasa omnia corporis facile, expedite & aequabiliter propellitur; succos omnes reliquos laudabiles, spiritusque praesertim bonos, iusta copia suppeditat. Quare cordis & arteriarum motus vi moderata & iusta continuantur; functiones omnes recte procedunt; sanguis moderate calidus conservatur; eiicienda inde e corpore tempestive, per transpirationem maxime, secedunt; ipse in debita copia & reliqua sua temperie conservatur; solidorum cohaesionem temperate robustam, & nec nimis laxam, nec nimis strictam, nec siccam nimis, nec nimis humidam efficit; eadem in debitam magnitudinem extendit, ac in hac tandem conservat; vitalia inprimis organa, ut haec, ad totum corpus relata, magnitudine nec excedant, nec deficiant. Quare probe temperatus sanguis deinceps iusta semper copia e corde per arterias & venas promovetur. Pulsus omni modo moderatus est.

§. 46. In temperamento *calido* ſanguis motu calidior & acrior redditur, atque dilatatur. Stimulantur ita cor & vaſa arterioſa ad motus validiores & frequentiores; a ſanguine ſpiritus copioſi & vegeti, reliqui ſucci calidiores & acriores, & bilis praeſertim copioſior & acrior, ſecernuntur. Functiones hinc omnes validiori vi fiunt; ſolidorum cohaeſio paulo robuſtior redditur, ita tamen, ut neque ſiccitate, neque humiditate multum excedat; cor & vaſa e pluribus harum cauſis magis extenduntur; maiorem iterum ſanguinis copiam capiunt & propellunt celerius; & cerebrum univerſum in ampliorem molem extenditur. Validioribus autem motibus id, quod in ſanguine nimium fieri, vel temperaturam priorem valde turbare queat, itidem mature e corpore eliminatur. Pulſus magnus, celerque eſt.

§. 47. In temperamento *ſicco* ſanguis ſpiſſus cordis motu difficilius, tardius & minus aequabiliter per vaſa ſua promovetur; ſucci omnes hinc minori copia, & inertiores ſecernuntur; quod de ſpiritibus etiam & inprimis valet. Quare functiones omnes ſegnius procedunt. Sanguis minori attritu non ſatis tenuatur & incaleſcit, minus etiam ſpirituum recipit. Hinc ſpiſſus & craſſus manet. Dumque is per vaſa maiora tardius & aegrius progreditur, minora lateralia, e quibus illa componuntur, & nervos minimos comprimit: fluida inde paulatim exprimit, & ſic fibranem numerum auget. Augetur ita & conſervatur ſiccitas ſolidorum; & dum

terrae plus iusto illis advectum apponitur, & fibras crassiores reddit. Cumque solida minora fluidorum, quae vim movendi secum afferunt, semper minus admittant: motus omnes, vitales praesertim, magis semper magisque segniter contingunt, neque ad illos a sanguine inertiori partes satis stimulantur. Pulsus tardus & magnus est.

§. 48. In temperamento *humido* sanguis aquosior solidorum, praecipue cordis & arteriarum cohaesionem minus robustam, sed laxiorem facit, nec fibras ad motus satis sollicitat. Hinc motus earum partium infrequentes & minus validi sunt. Quare idem sanguis segnius, & minus aequabiliter semper progreditur; tardius & minori copia ad cor semper revertitur; illud cum vasis non satis distendit, & angustiora relinquit. Aquae copia motu non satis dissipatur; in vasis lateralibus, vi exigua a sanguine per maiora transeunte pressis colligitur, & corpus spongiosum & humidum reddit; quem habitum pinguedo ex eadem ratione collecta auget. Humores omnes lente & inertes a sanguine secernuntur, spiritus etiam. Quare functiones quoque omnes imbecillius peraguntur. Pulsus tardus, parvus & mollis est.

§. 49. In temperamento *frigido* sanguis cor & vasa non satis ad motus perficiendos stimulat. Est ergo illius progressus tardior, minus validus, neque satis ubique praesertim in ambitu corporis expeditus; cor vero & vasa non satis ampla redduntur. Vnde minor eiusdem copia e corde semper propellitur.

litur. Humores non multi ſecernuntur; ſed ſecreti diutius in corpore retinentur; ſpiritus elaborantur pauci, nec ſat agiles. Fibrae a motu ſegniori minus robuſtae fiunt; ſanguinisque particulae omnes minus atteruntur. Quae omnia rurſus conſpirant, ne ſanguis ab indole ſua frigida facile recedat; ambitus vero corporis ut frigidus maneat. Pulſus tardus & parvus eſt.

§. 50. In *cholerico* temperamento, quod ſimul calidum & ſiccum eſt, ſanguis, motu praeſertim voluntario accedente, calidior & acrior adhuc, quam in mere calido fit; hinc cor & vaſa magis ſtimulantur, &, ut magis robuſta, validius in ſanguinem agunt. Celeriter ergo hic in corpore circumagitur; humidum inde tranſpiratione maiori mox diſſipatur; ſucci omnes aliquanto minus quidem copioſi, aſt calidiores & acriores ſecernuntur, bilis praeſertim, ut a ſanguine multo ſulphure referto, & attenuato; ſpiritus valde agiles & ſufficientes in cerebro & cerebello generantur. Functiones omnes vi valida peraguntur. Solidorum cohaeſio firma, robuſta, ſicca redditur. Pulſus celerrimus, magnus & durus eſt.

§. 51. Temperamentum *ſanguineum*, quod ſimul calidum & humidum eſt, proxime ad eucraton accedit, & vulgo cum hoc confundi ſolet. Aliquanto tamen magis fluidus & humidus eſt ſanguis, & mollius univerſum corpus, quam in eucrato, a calore & aqua abundantibus. Fluida quoque omnia & functiones omnes in ſanguineo paulo minorem vigorem habent.

habent. Retinetur itaque ſemper plus aqueaé partis in ſanguine, prioremque huius indolem conſervat, ac ſolida minus robuſta, ſed humidiora reddit. Pulſus quodammodo celer & mollis eſt.

§. 52. Temperamentum *melancholicum*, ubi frigus cum ſiccitate praevalet, maxime cum ſicci indole convenit. Segnius tamen adhuc, ob frigiditatem ſimul excedentem, in illo functiones omnes peraguntur; & humores impeditius propelluntur & ſecernuntur; ſecreti vero minorem vim habent. Quae praeſertim etiam de ſpiritibus valent. Fibrae craſſae, aliquanto tamen minus ſiccae, quam in ſicco temperamento redduntur. Siccitas vero in toto corpore ex hac cauſa conſervari videtur, quod aqua, nec chylo, nec ſanguini ſatis accurate permiſta, maturius cum alvi faecibus, & cum urina maiori parte ſui egeritur. Pulſus tardus & inaequalis eſt.

§. 53. *Phlegmaticum* temperamentum humidi fere indolem habet; ob caloris vero maiorem defectum (§. 31.) humores omnes adhuc inertiores redduntur; roburque omnium debiliſſimum eſt; cor vero cum vaſis minimum dilatatur, & habitus totius corporis molliſſimus conſervatur. Pulſus tardiſſimus & exilis eſt.

§. 54. Videamus iam, quaenam ex modo explicatis temperamentis mentis, & functionum animalium habitudines generales exſurgant; (§. 4. 15.) quaeque perſpectae deinceps nova ſigna temperamentis dignoſcendis praebent. Sunt vero illae admodum nota-

notabiles, & minus fallaces in hominibus, qui arte, consuetudine, (§. 13.) vitae genere, aut rerum non naturalium usu, illas non valde mutarunt, vel in quibus reliquus corporis mechanismus non multum mutavit. (§. 5.) In aliis ad haec quoque ipsa simul sollicite attendendum esse, facile intelligitur.

§. 55. In temperamento *eucrato* uti iusta humorum mistura & temperies adest, & solidorum proba constitutio, sanguinis & humorum omnium progressus expedite fit, & functiones omnes probe & sine impedimento succedunt: ita mens etiam suas actiones cum facilitate, alacritate, oblectamento & sine vehementia peragit, uti in optima sanitate, quam etiam conservat. Sensus interni omnes bene se habent; corpus moderate robustum, valens & sensibile ferendis laboribus cum aliqua constantia par, iisdem diu sustinendis impar est; mens alacris ab aliis subinde obiectis externis & internis excitata, nulli valde diu inhaeret, & in affectus, praesertim gratos, facile, sed non diu rapitur.

§. 56. In temperamento *calido* mentis alacritas maior est, quam in eucrato; sensus interni vigent, percipiendi maxime & imaginandi vis; prompta repraesentatorum collatio, & hinc de rebus expeditum iudicium; ad labores & pericula subeunda maior impetus; ad voluptates maior propensio, inque iis maius oblectamentum. Bilis praeterea copiosior & acrior partes, quibus continetur & advehitur, in corpore admodum sensibili facile stimulat, & hoc ad iram proclive reddit.

§. 57. In temperamento *ſicco* mentis actiones tarde ac difficulter ſuccedunt; ab obiectis externis & internis eadem tardius afficitur; ſed impreſſa ipſi diutius retinet; hinc memoria maxime & iudicio, hoc vero tardiori valet. Corpus ferendis diu laboribus par eſt, cum praeſertim ſub iis motus muſculorum & alii aucti ſanguinem tenuiorem & ſpiritus ſufficientes progenerent. Mens ad affectus non admodum procliuis eſt, ſed iis correpta ſemel diutius indulget. Cumque ſanguis ſpiſſus per rigidiora vaſa & viſcera lente & impeditius propellatur: facile hinc inde, maxime in capite ſtagnat, tubulosque medullares & meninges cerebri inaequaliter premit. Vnde moleſtae multae ſenſationes & pronitas ad triſtitiam oriuntur.

§. 58. In temperamento *humido* ſegnius omnia peraguntur; ſenſuum internorum nullus vigor eſt; aegre mens excitatur, nec valde. Hinc nec vehementibus, nec diuturnis affectibus humidi facile corripiuntur.

§. 59. Eadem fere de temperamento *frigido* valent, (§. 58.) ex aliis quamuis rationibus. Circulatio vero ſanguinis in illo magis impedita & inaequalis eſt: vnde ſtagnationes, preſſiones ac pronitas ad adfectus triſtes excitantur.

§. 60. Temperamentum *cholericum* ad calidi indolem prope accedit; (§. 50. 56.) ſed cum ſimul ſiccum & magis calidum ſit, (§. 50.) maior adhuc ſenſibilitas, alacritas, conſtantia in omnibus actionibus

adeſt

adeſt in illo; perceptio facilior; iudicium acre & promptum, ſaepe praeceps; memoria facilis & ſatis conſtans; audacia; pronitas ad affectus, praeſertim ad iram.

§. 61. Temperamentum *ſanguineum*, eucrati fere naturam habere dixi: (§. 51. 55.) aliquanto tamen in eo minor eſt vigor in actionibus mentis, ab abundante aqua: etſi, ob calorem ſimul quoque maiorem, promptius afficiatur, ab obiectis internis & externis. Corpus minus roboris habet, quam eucratum, functiones minore vigore, ac labores minore conſtantia peraguntur. In affectus omnes, praeſertim vero gratos facilius abripitur; quos tamen citius mutat, cum mens diu iisdem rebus non inhaereat. Valet maxime imaginatione, & iudicio ſatis bono, ſi animum, ab affectibus non occupatum, ad paulo ſeveriora dirigere didicit.

§. 62. Temperamentum *melancholicum* ſicci naturam maxime aemulatur. (§. 52. 57.) Tardius vero & ſegnius in illo mens actiones ſuas exercet. Iudicium tardum eſt, & ad res non multas ſe extendit. Quae tamen memoria tandem recipit, ſatis fide cuſtodit. Vigor & conſtantia in actionibus corporis deficiunt. Senſationes valde moleſtae frequentes ſunt; affectus nulli vehementes, quibus tamen triſtioribus mens valde dedita eſt.

§. 63. Temperamentum *phlegmaticum* humidi fere indolem habet; (§. 53. 58.) ſed omnium inertiſſimum eſt; nec vlla re facile & diu afficitur.

§. 64. Vti in temperamento *eucrato* ſanitas optima (§. 55.) eſt, & admodum conſtans: ita oblectamentum, quod in eo a rerum non naturalium uſu oritur, ad harum abuſum interdum provocat, minus tamen facile, quam in temperamentis calidis, (§. 29.) & morbis illud opportunum reddit: quos tamen etiam pleroſque vel natura, vel arte adiutum facilius, quam reliqua temperamenta omnia vincit.

§. 65. Quodcunque temperamentum ſua poteſt gaudere ſanitate: etſi alacritas, vigor, oblectamentum & conſtantia in actionibus multum in iis inter ſe differant.

§. 66. Temperamenta *calida* quaecunque (§. 29) poſt eucraton maxime optabili & vividiori adhuc ſanitate, quam illud, ſanitate gaudent. Sed dat quoque haec & vivacitas magis adhuc occaſionem rerum non naturalium abuſui; is vero cum ipſo calido ſanguine, & vehementia motuum & affectuum, morbis multis, praeſertim acutis & admodum periculoſis, plerisque iis tamen ſanabilibus, ſi maligni nil reconditum habeant, & medicina mature & dextre iis paratur.

§. 67. Temperamenta quaecunque *frigida* (§. 31.) naturali corporis & animae diſpoſitione morbis chronicis admodum ſunt opportuna; melancholicum praecipue; in quo etiam difficillime ex his curantur; poſt illud phlegmaticum, quod catarrhis praeſertim vexatur; frigidum ita dictum ſat bene valentes homines reddit, ſi praeſertim corporis exercitationes & uſus congruus rerum non naturalium accedunt; facilius etiam a morbis liberantur.

§. 68.

§. 68. *Siccum* ſolum, alias cholerico-melancholico dictum, uti quoque *humidum* ſolum, ſeu ſanguineo-phlegmaticum, cum ſanitate minus vivida & vigente coniunctum eſt. Sed hanc fere conſtantiorem facere ſolet in utroque minor propenſio ad rerum naturalium abuſum, & temperata humorum indoles in iis, ratione caloris & frigoris. (§. 32.)

§. 69. In *ſicco* tamen facilius obſtructiones graves, in cerebro praeſertim, (§. 57.) hepate & liene, ſique a rerum non naturalium abuſu ſanguis calidior reddatur & commoveatur, inflammatorii & biliosi produci queunt morbi, pertinaciter remediis obluctantes. Pauciores morbi, & cum minori periculo minantur *humidis*, facilius etiam ſanabiles. Videtur denique temperamentum humidum multis de cauſis maximam longaevitatem ſpondere; uti calidum, ſeu cholerico-ſanguineum ſanitatem florentisſimam.

§. 70. Praebent vero eorum, quae hactenus dicta ſunt, (a §. 45. ad hanc) plurima temperamentorum ſigna ſatis ſignificantia. Cum iis adhuc conſpirant ſequentia, facilius deprehendenda, ſed ut certiora iudicia praebeant, cum illis prioribus ſaepe accurate conferenda. In temperamento ergo *eucrato*, corpus eſſe ſolet euſarcon, ſeu probe carnoſum, mediocri habitu, &color moderate rubens: in *calido*, corpus paulo ſiccius & gracilius, color intenſe rubens, vividus: in *cholerico*, corpus ſicciſſimum, macilentum, durius, color ad fuſcum vergens; in *ſan-*

guineo, corpus paulo mollius, color ample roſeus: in *ſicco*, corpus ſiccum, ſtrictum, durum: in *phlegmatico*, corpus craſſum, molliſſimum, color albus: in *humido*, corpus carnoſum, valde molle, color variabilis, a motu voluntario ample rubens: in *frigido*, corpus pingue, tumidum, color pallidus: in *melancholico*, corpus ſiccum, minus durum, macilentum, color lividus, vel ater.

§. 71. Mutat in hiſce omnibus multum rerum non naturalium uſus diuturnus, praecipue is, qui cuique temperamento maxime contrarius eſt. Ita ſub longe uſu rerum frigidarum & mollium, vel aquoſarum, & in otio, ut multum caloris cholericus amittit, ſic ſucci plenum & molle corpus acquirere poteſt. Phlegmaticus contra ab uſu multo rerum calidarum, ſiccarum & ſpirituoſarum, multisque exercitationibus quaſi ſanguineus, vel calidus efficitur. Sed accidit hoc non tam facile, nec niſi ſub circumſtantiis memoratis modo, vel aliis obſervandis. Tum temperamentum ita mutatum, omiſſo illo uſu, promptius ad priorem formam redire ſolet, quam aliud, cuius formam induerat, ſub ſimili vitae ratione eandem mutationem ſubit.

§. 72. Quae vero praeterea adhuc ſigna temperamentorum a Galeno, multisque aliis, praſertim recentioribus, allegari ſolent, ea nunc omittimus, ceu minus conſtantia, magis incerta, & ab aliis cauſis multum dependentia. Seponenda erga illa ſunt alii examini.

§. 73.

§. 73. Etſi autem temperamenta in hac diſſertatione deſignata in multis conveniant cum illis, quae ab aliis ſtatuuntur, cholerico, ſanguineo, ceteris: in multis tamen differunt. Quare quae de iis hic dicta ſunt, ad haec referri nolumus; multo minus ad illa, quae de his alii proponunt.

§. 74. Intelligitur tandem, res non aeque, ac vocabula, facile componi & uniri. An ergo dari poſſunt temperamentum cholerico-phlegmaticum, & melancholico-ſanguineum? In utroque certe quatuor qualitates, unde omnis temperaturae ratio in temperamentis intemperatis (§. 41. Not.) exſurgit, ſimul praevalere debent; id quod ἀσύστατον eſt; vel aequabili vi pollere: in quo caſu ab eucrato non differunt. (§. 21.) Vel qualis in iis temperatura producitur? Apparebit autem curate rem examinanti, nil agi, actumque iri, ſi ultra novem, hoc loco propoſita & explicata temperamenta, plura e compoſitione aliorum effingere cui lubeat.

T A N T V M.